

51. *Dico V.* Defunctorum animæ non possunt ope dæmonis ad nos evocari. *Prob.* Nec animæ in purgatorio aut cælo sunt sub potestate diaboli aut necromantæ, cum fas non sit credere Sanctorum animas, quæ in manu Dei sunt, alterius quam Dei potestati subjici: nec animæ damnatorum sine Dei nutu ex inferno egredi vel educi possunt, cum in eum locum tanquam, meritum suis sceleribus carcerem et pœnæ locum, sint a Deo detrusæ, quod per voces *divitis Epulonis* Luc. 16. 26. relatas confirmatur; unde quæ per necromantiam factæ narrantur mortuorum apparitiones, vel illusiones fuerunt, vel fallaces dæmonum ipsorum simulationes, vel mendacia a necromantis conficta.

Si ais: 1. Reg. 28. 14. Samuel Pythonissæ opera suscitatus apparuit Sauli.

R. Quamvis enim cum probabiliori admittatur, verum Samuelem ibi comparuisse, et non fuisse phantasma a dæmone assumptum, ut alii probabiliter tenent; tamen ab iisdem Auctoribus negatur, id a diabolo vel *Pythonissa* esse effectum: sed Deus suscitavit Samuelem, prævenitque magicas incantationes; unde etiam turbatam sagam ibidem legimus.

52. *Observa.* Angelus angelo loquitur, suos conceptus ad alterum dirigendo, ita ut, qui alias naturaliter secreti sunt, respectu illius desinant esse secreti, et sic ab illo, non vero ab aliis cognoscantur; et dum *clamare* ad invicem dicuntur; per hunc clamorem magnitudo rei vel affectus significatur. Angeli superiores *illuminant* inferiores, veritates divinas hic incognitas, a Deo vel alio angelo superiore acceptas, iis manifestando, plerumque in ordine ad eos dirigendos in suo ministerio. Angeli etiam hominibus *illuminant*, idque ex clarissimis Scripturæ textibus patet. De hac vero *locutione angelica* constat ex Scriptura Zach. 2. 4., Is. 6. 3., Apocal. 7. 2. etc. De eadem agunt SS. PP. DION., CHRYS. in 1. ad Cor. c. 13. v. 4., THEOPHYL. et THEODORET. ib., GREG. M. Moral. L. 2. c. 4. (al. 7.), DAMASC. de fide L. 2. c. 3. et alii: hanc ipsam deposcit perfecta societas, respublica et *Hierarchia spiritalis* angelorum, nihil ergo aut ira aut risu dignum in Theologo est, si eandem duobus prope verbis definiat.

CAPUT III.

DE GRATIA ET MERITO, PECCATO ET POENA ANGELORUM.

ARTICULUS I.

DE GRATIA ET MERITO ANGELORUM.

53. *Nota.* Triplex a Theologis solet discerni status angelorum, *Creationis, Perseverantiæ, Defectionis.* Via angelorum dicitur illa temporis mora, quæ fluxit ab eorum creatione usque ad beatitudinem et damnationem malorum. Instans aliud physicum est, v. g. momentum temporis: aliud angelicum,

quod non est indivisibile punctum temporis nostri, sed una invariata unius operationis angelicæ duratio usque ad aliam a priore diversam; et horum tria statuunt Theologi pro via angelorum, ita ut *primum instans angelicum* sit actus congruè meritorius, et status primæ gratiæ habitualis: *secundum* sit actualis inter eos diversitas operationum et pugna, dum boni condigne merebantur augmentum gratiæ et gloriam, mali per peccatum excidebant a gratia sanctificante: *tertium* spectet ad terminum, et designet in illis beatitudinis, in his damnationis initia: atque id indicant verba Ezech. 28. 15. *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Neque operatio una hic ita stricte sumitur, ut ab ea dividatur prævia cognitio, deliberatio et alia operationem ipsam ordinarie præcedentia vel consequentia. Questio autem duplex est: 1°. An omnes angeli aliquando in via fuerint in statu gratiæ sanctificantis? 2°. An et quando angeli gloriam meriti sint?

54. *Dico I.* Angeli omnes in via aliquando fuerunt in statu gratiæ sanctificantis: ita D. THOMAS q. 62. a. 3. et Theologi fere omnes.

Prob. Ex Ezech. 28. 15. supra cit., ubi Lucifer sub typo Regis Tyri dicitur *perfectus in viis suis, donec inventa sit iniquitas* in eo. Judæ v. 6. dicuntur angeli mali *non servasse suum principatum.* Joann. 8. 44. dicitur diabolus *in veritate non stetit.* Idipsum docent SS. Patres BASIL. in Psal. 32. n. 4. (opp. t. 1. p. 136. A.) et epist. 141. (al. 8. n. 10.), AUG. L. 12. de Civ. c. 9. n. 2. et L. 11. c. 41., etc.

Conf. Adam statim in sua creatione accepit gratiam sanctificantem, quæ includitur in justitia originali: nam Deus *fecit hominem rectum.* Eccl. 7. 30. et TRID. Sess. 5. dicit, Adamum per peccatum justitiam et sanctitatem perdidisse, in qua fuerat constitutus; ergo probabilius etiam angeli gratiam tum acceperunt: non enim videtur Deus erga creaturas nobiliores fuisse in prima creatione parior, quam erga homines.

55. *Dico II.* Angeli sancti gloriam meriti sunt, et antequam illam acceperint.

Prob. 1°. p. S. AUG. L. de Corr. et Grat. c. 11. n. 32. sic ait: *Quia noluit Adam permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* Idem sentit D. THOM. 1. q. 62. a. 4. et Theologi omnes.

Prob. 2°. p. Ab eodem consensu Theologorum.

Conf. Ex D. THOM., quia meritum habet rationem viæ ad finem; ei autem, qui jam est in termino, non convenit moveri ad terminum; et sic etiam nullus meretur, quod jam habet. Adhæc dilectio Dei non potest simul informari gratia imperfecta, quæ est principium meriti, et gratia consummata, quæ est principium fruitionis. Demum repugnat tum ratione meriti, tum ratione potentiæ proximæ peccandi, esse in eodem instanti meritum cum potentia peccandi, et simul beatitudinem.

56. *Obj. cont. I. Ille homicida erat ab initio*, dicitur de diabolo Joan. 8. 44. et 1. Joan. 3. 8. *Ab initio diabolus peccat*; ergo nunquam habuit gratiam.

R. τὸ *ab initio* in utroque textu non sumitur mathematice pro primo instanti creationis: sed moraliter pro tempore ab eo instanti parum distante, ut docet S. AUG. L. 11. de civ. c. 13.; hinc in textu additur: *in veritate non stetit*, quod supponit diabolum aliquando stetisse. Simili sensu de iis, qui a prima juventute peccarunt, Psal. 57. 4. dicitur: *erraverunt ab utero*.

Inst. 1. S. JUD. v. 6. non loquitur de principatu gratiæ, sed *naturæ*: et Joan. 8. 44. sermo est, non de perseverantia, sed de *veracitate*, ut patet ex contextu, *quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est*: denique τὸ *stetit* in Scriptura idem est ac *fuit*, aut opponitur casui; ergo ex hisce testimoniis nihil probatur.

R. N. A. Nam 1. Angeli habuerunt quod amiserunt et dereliquerunt: sed amiserunt principatum gratiæ, non *naturæ*; ergo eundem habuerunt: hinc inter se comparant SS. Patres lapsum Adami et angelorum. 2. Expositio de veracitate non excludit nostram, sed, ut ait HAUNOLDUS, virtualiter includit, cum diabolus dicitur *in veritate non stetisse*, non quia veritatem ante non dixerat, a qua postea recesserit: sed quia ante in virtute veritatis stetit, dum erat innocens, et virtutibus infusus a Deo donatus. 3. Quod hic loci in Scriptura τὸ *stetit* denotet perseverantiam, docent ORIG. in Joann. tom. 20. n. 22., AUG. in Joann. Tract. 42. n. 13. et de Civit. Dei L. 11. c. 13., EUTHYM. in c. 8. Joann. v. 44., LEO Serm. 9. (al. 8.). c. 1. et confirmatur ex verbis Jobi 4. 18. *Ecce, qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem*.

Inst. 2. Textus hebr. Job 4. 18. non dicit: *reperit pravitatem*, sed in angelis suis *non posuit laudem vel lucem*: sed in Scriptura per lucem intelligitur gratia v. g. Eph. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate*.

R. D. M. Non posuit lucem perfectam et consummatam C. Nullam N. Angeli boni cooperatione sua perfecterunt et consummarunt ipsi gratiæ suæ lucem, unde Job 38. 7. dicuntur *astra matutina Deum laudantia*: hoc vero non convenit angelis malis ex propria defectione, non ex defectu gratiæ.

Inst. 3. Can. Visis litteris, caus. 16. q. 2. diabolus dolere dicitur, quod in cælo nequiverit habere charitatem, quam homines in terris habent: sed charitas conjuncta est cum gratia; ergo.

R. Diabolus dolet, quod non habuerit charitatem perseverantem, quam videt habere multos homines; aut potius, quod non possit recuperare amisam, ut possunt homines: ita *Glossa* et communis *Scholasticorum*. Dein etiam intelligi potest per charitatem concordia cum bonis, non vero gratia habitualis, quia in hoc Can. agitur de *litibus et seditionibus Clericorum*, quæ instigatione versuti hostis factæ dicuntur, qui utique discordiarum parens est, et angelos rebelles a bonis avulsos in suam sectam traxit.

Inst. 4. S. GREG. M. moral. L. 32. c. 18. (al. 23. n. 48.), in hæc Ezech. verba: *Foramina tua (Lucifer) in die qua conditus es, præparata sunt*, ait: *Habuit lapis iste foramina: sed per superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta*; ergo.

R. Intelligendum esse de charitate consummata, sive perseverantia in

charitate et gratia, ut patet ex immediate anteced., ubi ait: *Hujus lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus. Qua si repleti voluisset, stantibus angelis tanquam positus in Regis ornamento lapidibus potuisset inherere*.

Inst. 5. SS. Patres solum videntur dicere contra Manichæos, diabolum non esse natura malum: sic AUG. L. 11. de Civ. c. 13. eos qui putant diabolum ab initio creationis suæ libere peccasse, non consentire dicit cum Manichæo; quin et L. 1. de Gen. ad lit. c. 4. et 6. ait, angelos primo creatos fuisse *informes* et in tenebris, deinde formatos; ergo.

R. S. AUG. ibidem subdit, omnes angelos ab initio accepisse bonam voluntatem sive gratiam; quod ipsum dicunt Patres alii plures; unde RUPERTUS, MAG. SENT. et quidam alii SCHOLASTICI veteres negligendi sunt. Præterea loco cit. S. AUG. loquitur vel de formatione per gloriam, quæ fuit tempore posterior: vel de formatione per gratiam, quæ tamen natura tantum posterior fuit.

57. *Obj. cont. II. S. AUG. de Corr. et Grat. c. 10. n. 27.* docet, angelos malos ante lapsum (et sic in primo instanti) fuisse beatos; ergo et angeli boni tunc erant beati, ac proin beatitudinem non meruerunt.

R. D. A. Esse beatos beatitudine radicali, quia habebant gratiam sanctificantem, quæ radix gloriæ est, et quædam beatitudo inchoata C. Formali, perfecta et consummata, quæ dat visionem Dei intuitivam N. Hinc AUG. 1. c. addit: *Erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent*.

Inst. 1. Dux sæpe anticipata præbet militibus stipendia, præcipue si fortiter prius certarunt; ergo etiam Deus angelis gloriam, præsertim quia alias ministeria eorum futura erant sine omni præmio.

R. N. C. Quia de simili voluntate Dei non habetur fundamentum ab auctoritate, quod in *questione facti* requiritur. Porro meriti ratio non amplius habetur in statu beatitudinis; ergo nec propter ministeria ut meritoria dari poterat præmium beatitudinis.

Inst. 2. Non repugnat simul *esse beatum et mereri*, ut patet in Christo: neque repugnat præmium dari in eodem instanti physico, quia contritionem eliciens statim accipit gratiam sanctificantem, et justus augmentum gratiæ; ergo.

R. Ad 1^{am}. D. A. Esse beatum, et mereri beatitudinem essentialem, non repugnat N. Accidentalem vel aliud quidquam C. Christus autem essentialem beatitudinem non meruit, et nisi angelo statuatur beatitudo tanquam terminus ac finis meriti, plane nullus assignari poterit, ut tamen assignatur in homine et Christo mors.

Ad 2^{am}. D. A. Quando præmium non repugnat qualitati actus meritorii, aut principiis ad eum requisitis C. Quando repugnat N. Repugnat autem tententia desiderii vel spei in ipso actu, et cognitio indifferens in prærequiritis, utpote quæ excluduntur a visione Dei.

58. *Observa.* Juxta communioem Theologorum angeli fere sicut adulti homines, per actus de *congruo* meritorios se disposerunt ad primam gratiam

sanctificantem : perfectius quippe ac honorificentius est, per merita habere gratiam, quæ aliunde non debetur. Dixi, *de congruo*, quia ante gratiam sanctificantem dari non potest meritum *de condigno* : nec principium meriti cadit sub meritum. Quæ in contrarium afferuntur, vel congruentiæ tantum sunt, vel spectant potentiam operandi in primo instanti necdum expeditam, sed quibus facile satisfit.

ARTICULUS II.

DE PECCATO ANGELORUM.

59. *Nota.* Graviter peccasse angelos malos, intelligitur ex Job. 4. 18., 2. Petr. 2. 4., Judæ v. 6. Magno eos numero, minore tamen, quam sit is angelorum bonorum, lapsos fuisse, communis Patrum et Theologorum sententia est. Iidem, *nonnullis exceptis*, LUCIFERUM ordine Seraphinum dicunt, eumque aliis angelis omnium fere ordinum causam ruinæ fuisse. Itidem juxta communem Luciferi peccatum fuit *Superbia* in eo sita, quod voluerit esse *ut Deus*, non quidem secundum æqualitatem naturæ, quod vix ullus docet, sed per similitudinem. In assignando medio ad hanc obtinendam, discrepant auctores. Qui sentiunt cum SUARESI, superbiam Luciferi reponunt in eo quod inordinate *Unionem Hypostaticam* ambierit, ac inviderit Humanitati Christi, eique se noluerit submittere : Sequaces D. THOMÆ, in eo quod LUCIFER ex inordinato affectu erga suam perfectionem et felicitatem naturalem, eadem contentus neglexerit beatitudinem supernaturalem, et sic ipse sibi sufficere voluerit, atque eatenus esse *similis Altissimo*; hinc

60. *Dico I.* Primarium Luciferi et angelorum ejus peccatum fuit superbia.

Prob. Ex Script. 1º. generatim : Eccli. 10. 13. *Initium omnis peccati superbia.* Tob. 4. 14. *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio.* 2º. Speciatim : Juxta communem sensum Patrum, Propheta diabolum sub nomine Regis Babylonis sic alloquitur Is. 14. v. 11. 12. 13. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua... quomodo cecidisti de caelo, Lucifer... qui dicebas : in caelum conscendam... similis ero Altissimo?* Job. 41. 25. de Luciferò dicitur : *Ipsè est rex super universos filios superbiæ.* Luc. 10. 18. Christus dehortatur Apostolos a superbia : *Videbam, inquiens, Satanam sicut fulgur de caelo cadentem.*

Conf. Ex SS. Patribus, AUGUST. de Civit. Dei, L. 14. c. 13. n. 1. et L. 22. c. 1. n. 2., CYRIL. HIEROS. Catech. 2. n. 4., EUSEB. de Præpar. Evang. L. 7. c. 16. (p. 328.) GREG. NAZIANZ. Orat. 38. n. 9., CYRIL. ALEX. in Isaiam, L. 2. (opp. t. 2. p. 233. B.), LEO. M. serm. 9. (al. 8.) c. 1. etc. apud PETAV. L. 3. c. 2.

Dixi, *primarium* : nam reipsa non uno superbiæ peccato, sed multiplici, et virtualiter saltem distincto peccavit : qua ratione facilius conciliari possunt variæ Patrum et Doctorum de hac re sententiæ, et melius intelligitur gravissima diabolicæ superbiæ militia.

61. *Dico II.* Superbia angelorum erat in eo, quod sua naturali felicitate contenti vellent sibi ipsis sufficere, simulque affectarent potestatem excellentiæ in res mundanas a Deo quoad actuale imperium independentem.

Prob. Illud in re dubia tanquam probabilius videtur statuendum, quod cum Scriptura et Patribus consonat magis, omniaque explicat hic afferri solita; atqui hæc nostræ sententiæ conveniunt : nam 1º. S. AUG. L. 14. de Civ. c. 11. n. 2. ait : *Superbus ille angelus quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quam esse subditus elegit; idem pronuntiant alii SS. Patres.* 2º. Explicari potest, quomodo voluerit habere beatitudinem sine meritis, et sibi velut debitam. 3º. Qua ratione ad sui sequelam induxerit *alios Angelos*, quibus scilicet etiam majorem excellentiam proponebat, si eorum princeps haberet independentiam. 4º. Cur oderit maxime Christum, cui nempe data est omnis potestas, quam Lucifer sibi arrogare volebat. Denique cur ab orbe condito homines in *demonolatricam* inducere conatus fuerit, et etiamnum inducat.

62. *Obj. cont. I.* Scriptura et SS. Patres aliud Luciferi peccatum assignant : nam 1º. ad Tim. 1. c. 6. v. 10. dicitur : *Radix omnium malorum est cupiditas.* 2º. GELASIVUS vocat peccatum Angelorum *luxuriam spiritualem.* 3º. S. CYPR. de Zelo et livore, n. 3. et 4., S. BASIL. Hom. 41. de Invid. n. 4. alique *invidiam*; ergo.

R. D. A. Assignant aliud peccatum primarium N. Concomitans aut subsequens superbiam C.

Ad 1^{am}. *prob.* D. Radix est cupiditas, hoc est, inordinata propensio ad bonum sibi indebitum quaecumque C. Hoc est, avaritia N.

Ad 2^{am}. *prob.* D. Et per hoc ipsum intelligit superbiam proprie dictam, complacentiam scilicet in naturali perfectione, sine subiectione ad Deum C. Superbiam impropre dictam, aut aliud quiddam N.

Ad 3^{am}. *prob.* D. Invidia fuit peccatum primarium et primum N. Secundarium et consequens C. S. AUG. sententiam CYPRIANI disertis verbis L. 11. de Gen. ad litt. c. 14. refellit : *Invidia sequitur superbiam, non præcedit : non enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia.*

Inst. S. AMBR. (al. LEO M. vel PROSPER), ait, epist. ad Demetriad. c. 9. (opp. S. Leonis t. 2. p. 268. edit. Baller.) : *Sive itaque in lapsu diaboli, sive in prævaricatione hominis initium peccati superbia est : et tamen hominis peccatum primarium non fuit superbia, sed inobediencia; ergo et angelorum.*

R. N. C. Quia constat, homini datum esse præceptum, ne comederet fructum arboris scientiæ boni et mali, et hoc etiam ab eo violatum : de præcepto angelis dato nihil constat.

63. *Obj. cont. II.* Joan. 8. 44. dicitur de diabolo : *Ille homicida erat ab initio, nempe quia Christum, cui Unionem Hypostaticam invidebat, jam tum occidere decreverat; ergo in hoc fuit superbia angelorum.*

R. N. A. Sed ideo dicitur homicida ab initio, quia ab initio mundi sua suasionem causavit mortem corporis et animæ totius generis humani.

Inst. 1. Hebr. 1. 6. dicitur : *et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit : et adorent eum omnes angeli ejus; ergo sicut angeli actu debuerunt adorare Salvatorem in hunc mundum introductum per Incarnationem; sic olim propositum per revelationem jussi sunt adorare affectu et voluntate : quod cum renueret Lucifer cum suis, cecidit.*

R. N. C. Juxta CORNELIUM A LAP. Filius Dei primo introductus est in Orbem, non per revelationem angelis factam, sed per Incarnationem, iterum autem per Resurrectionem gloriosam, aut in die judicii introducendus. SS. CHRYS., AMBR., CYRILL. et alii Patres primam introductionem dicunt factam per generationem æternam Christi qua Dei, secundam vero per temporalem Christi qua hominis. Alii dicunt S. PAULUM, per τὸ iterum significare tantum iteratam citationem textus ex V. Testamento. Demum, si etiam per hoc probetur, Luciferum noluisse adorare Christum, tamen hoc ipso quod Christus tanquam Deus Homo fuerit propositus, et Decretum Incarnationis revelatum, Lucifer non potuit sibi appetere Unionem Hypostaticam, ac proin aliud objectum positive appetitum assignari debet. Sane Patres qui pro illa sententia afferuntur, rari sunt, et solum dicunt, quod dæmon naturæ humanæ inviderit Unionem Hypostaticam.

Inst. 2. Illa independentia a Deo evidenter repugnat creaturæ, cum omnis creatura evidenter et essentialiter sit subjecta Deo; ergo non potuit efficaciter appeti a Lucifero, sed potius Unio Hypostatica.

R. D. A. Est subjecta Deo physice C. Quia physice non potest alium habere auctorem seu conservatorem, quam Deum. Moraliter *subd.* In actu primo C. In actu secundo N.

ARTICULUS III.

DE POENA ANGELORUM.

§ I.

An pœna dæmonum sit verus et corporeus inferni ignis?

64. *Nota.* infernum negant *Athei, Libertini,* et impii fere omnes. Præter quosdam antiquos dubie locutos, et e Catholicis *Catharinum* L. de præm. et suppl., negarunt ignem verum dæmones torquentem *Origenes* Periarth. L. 2. c. 10. n. 4. seqq., *Albigenses, Lutherus, Calvinus,* aliique *Novatores* apud *Coccium* Tom. 2. L. 10. qui pœnam ignis dicunt intelligendam esse *metaphorice,* nihilque aliud ejus cruciatum esse, quam dolorem, vel ex privatione bonorum, vel ex recordatione peccati proveniente, licet non negent verum ignem inferni, qui cruciet corpora hominum. Priusquam autem de pœna dæmonum nunquam satis timenda statuamus, paucis stabilienda est veritas Catholica.

65. *Dico I.* Certissima fide tenendum, quod sit vere infernus aliquis a Deo constitutus, in quo reprobi omnes, tum angeli tum homines detineantur et torqueantur.

Prob. I. SCRIPTURA SACRA Vet. et Novi Testamenti asseverat dari infernum: Is. 30. 33. dicitur: *Præparata est ab heri Tophet, a Rege præparata, profunda et dilatata, nutrimenta ejus ignis et ligna multa, flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam;* est autem *Tophet* vallis filiorum Enon, ubi cremabant Judæi filios suos idolo *Moloch,* designans locum, ubi perduelles filios Deus æternum cremat: *Præparata ab heri,* id est, ab initio

mundi. V. *Exegesis* Hebr. Psal. 9. — 18. Is. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Psal. 48. 13. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos etc.* Marc. 9. 44. et 45. Christus dicit: *Bonum est tibi, claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Luc. 16. 22. et 24. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno; elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis etc.* Idem Judæ v. 6. Apoc. 12. 9. — 14. 19. — 20. 9. — 21. 8. etc. exprimitur.

II. CONCILIA, PATRES, et totius ECCLESIE SENSUS idipsum docent: Symbola ATHANAS. APOST. et NICÆNUM *vitam et ignem æternum* memorant; idem definitum in Conciliis TOL. IV. c. 1. (Labb. t. 5. p. 1703.), FLORENT. in litteris union. (Labb. t. 13. p. 513. D.) et in aliorum omnium professione fidei. Instar omnium SS. PP. sit CYPR. qui L. de laud. Mart. n. 20. ait: *Sæviens locus, cui gehenna nomen est..., eructantibus flammis per horrendam spissæ noctis caliginem, sæva semper incendia camini fumantis exspirat.*

Conf. Evidens conjectura, et ipsorum gentilium auctoritas suffragantur: injustus quippe Deus esset, si hominum crimina manerent impunita, quæ cum in hac vita sæpe non puniantur, necesse est ut puniantur in altera: sed peccati tanta enormitas est, ut nulla pœna, nisi æterna, satis illud punire queat. Demum innumeræ tum dæmonum, tum hominum apparitiones, quibus omnibus fidem negare, teste S. AUG. supr. cit. nimis impudentiæ est; multorum item hominum raptus ad videndos inferos, montes ignivomi, quos TERTULL. (Apolog. c. 48.) vocat *Testimonium ignis æterni, exemplum jugis judicii pœnæ nutritis;* PLATONIS, TRISMEGISTI, aliorumque gentilium notitia et consensus, de quo testantur S. CLEM. ALEX. Strom. L. 5. (opp. p. 592.), et MINUTIUS FELIX in Octavio, satis probant, omnino stultum esse, negare infernum: cum pro re, quæ sensibus non patet, et a sola Dei voluntate pendet, nequeat afferri efficacior, quam multiplex ratio nostra.

66. *Dico II.* Ignis paratus diabolo et angelis ejus est ignis corporeus, dæmones vere torquens.

Prob. Diabolo paratus est ignis idem, in quem ibunt homines: atqui hic est corporeus et verus, 1º. Quia Scripturæ multis in locis, nempe Eccli. 7. 19., Is. 33. 14., Matth. 3. 12. etc. appellatur ignis, et distinguitur a *remorsu* seu *verme conscientie;* verba autem Scripturæ sumenda sunt in sensu proprio, ubi sine inconvenientia ita sumi possunt, accedente etiam consensu Patrum. Dein Christus in illis pronuntiat *sententiam judicalem:* hæc autem debet esse maxime aperta, plana, et verbis proprie significantibus efferri: quod non fieret, si *ire in ignem* significaret privationem bonorum, vel recordationem peccati. 2º. SS. Patres hanc veritatem diserte exprimunt, JUSTIN. in 2. Apol. n. 7., ARNOB. L. 2. cont. gent. c. 14., AUCTOR epist. ad Diognet. n. 10., PAULIN. epist. 31. (al. 44. n. 6.), CYPRIAN. de laude Martyr. n. 20., CYRILL. HIROS. Catech. 18. n. 19., CYRILL. ALEX. in Isaiam, L. 3. (opp. t. 2. p. 439. A.), PRUDENTIUS cont. Symmach. L. 2. v. 182. seqq., HILAR. in Matth. c. 13. n. 12., CHRYSOST. ad Theod. lapsum, L. 1. n. 10., AUG. L. 21. de Civ. c. 10., GREG. M. L. 4. Dial. c. 28. et 29. et alii quos citant SUAREZ, de Angelis L. 8. c. 12. n. 41. seqq. et PETAV. L. 3. c. 5. His accedunt cum MAG. SENT. Theologi